

## Scipio Rouitus I. C. ad Lectorem.



Unquam aepol, Amice Lector, vel per somnium quidem, in mentem mihi venerat, quod hæc mea lucubrationes ad huius Regni Pragmaticas Sanctiones, vix alteri ostenderentur, nedum typis excusa omnibus ederentur. Eas enim mihi ipsi, meæq; privata tantum utilitati diuersis non modo temporibus, sed etatibus, intra hos atq; illos libros aliud atq; aliud agens sparsim adnotaueram. Satis præterea compertum habebam, nec vigilantem, nec vigilias, etsi in eis omnem conatum, omnemq; operam adhibuissem, tantum promereri. Doctis enim me nihil noui allaturum, cæteros autem non ignorare, quæ nec ego quidem ignorarem, probè noui. At cum postea viderim eas a viris Iuris scientia peritissimis repetita lectione non contemptas, immò præter omnem spem ita probatas, ut non prorsus inutiles iudicauerint ijs, qui Ius ciuile in hoc Regno profitentur, dum oneri mihi imposto compilandi diuersorum Commentarios in certas Pragmaticas satisfacerem, subiit animus, nec temerarium, nec prorsus superuacaneum fore, si eas huic compilationi adderem, saltem pro voluminis fauura: quod sic repente et rapide Bibliopolarum impulsu factum est, ut vix relegendi, ac suis locis aptandi facultas concessa fuerit. Huc tandem deuentum est: Tu, amicus, siue detractor sis, hoc unum, velis, nolis, inficiari nequineris, te inde commoditatem saltem non modicam reportaturum. Vale.